



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Tertia die Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

Septemb. 3.

NATALES

posteritati sustulisse fertur. Dolendum est autem rem tam memorabilem illustri carere testimonio.

Alterum vasculum, quod ligneum est, in quo vinum ferebat, ab Absolonibus, qui eam dicunt maiorum suorum ancillam fuisse, religiosè, argento exornatum, conseruatur. Qui etiam illud ex Bruxella mittunt ad septennalem reliquiarum exhibitionem. Louanij cum corpusculo conseruatur etiam pila, quæ ei contra clamores fuit in os iniecta. Domus quam inhabitabat, dicebatur hospitium sancti Georgij, in qua cubiculum paruum ab ea nomen retinet. Dies martyrij ignoratur, ad quem tamen inueniendum nomen Aman-di hospitis sui quæsiuit, sed non inueni, inter obitus ecclesiæ Louaniensis & monasterij Villariensis, quod ab eo se bona habere agnoscit. Pertinet autem ad populares fabulas, ideo canonizatam non esse, quia de occisoribus eius sumtum est supplicium.

1718

Quamquam hæc vulgaris opinio non careat suo fundamento, cum Augustinus scribat Marcelino tribuno, *De clementia Imperatoris impetrare curabimus, ne passionis seruorum Dei, quæ debent esse in Ecclesia gloriosa, inimicorum sanguine dehonestentur.* Exstat denique de venerabili Margaretula cantilena, Antuerpiæ anno quadragesimo octauo excusa, in libro profanarum cantionum, sed lasciuia, & flammis digna.

Tertia die Septembris.

De sancto Remaco, episcopo Leodiensi.

Ex libris Nodgeri, & chronico Hirsfeldensium.

IN monasterio Stabuleto, depositio S. R E M A C L I, episcopi & confessoris. Hic patriam habuit

habuit Aquitaniam, parentes Albutium & Matrimam, opibus & generis nobilitate pollentes: qui eum educarunt sub beato Sulpicio, episcopo Bituricensi: in cuius honorem constat ab eodem sancto viro permultas ecclesias in Leodiensi diocesi esse dedicatas. Vbi autem adoleuit, B. Eligio est commendatus, qui eum in Solenniensi monasterio, monasticæ & disciplinæ institutionibus exactè imbuit, & cum ad palatium regis redire cogeretur, commissi gregis curam in eum transtulit. Tantùm verò sancti Remacii sanctitas sese dispersit, vt post beatum Amandum à clero & Aula proceribus ad episcopatum Traiectensem sit coactus. Discipulorum complurium pater fuit, & institutor. Inter quos Theodardus & Lambertus, post eum episcopi & martyres Christi: item sancti presbyteri Adelinus & Trudo. Sigebertum regem hortatus est, vt intra fines Arduennæ duo conderet monasteria, in quibus pro regni stabilitate & tranquillitate viri religiosi Dominum deprecarentur. Ea autem sunt Stabuletum & Malmundarium. Et vtrumque Grimoaldus Maior domus, sancto Remaclo gubernandum commisit. Vnde ipse captandæ solitudinis occasionem adeptus, sanctum Theodardum sibi in cathedra surrogari obtinuit. Stabuleti autem dum claret, religiosi viri ad eum, ceu apes ad aluearium, vndique confluxerunt. Crescente autem religione, creuit etiam ecclesiæ proventus, ex liberalitate Sigeberti, Pipini, & aliorum principum. Iam verò moribus quàm annis maturior, modica febricitate correptus, reddidit Deo animam suam tertio Nonas Septembris. Quo die natalem celebrat Leodiensis ecclesia. Stabulenses etiam tran-

Septemb. 4.

NATALES

lationem septimo Calendas Iulij, & commemorationem septimo Iduum Maij. Porrò duæ sunt, quas diximus, sancti Remacli abbatia, Stabule-
tum, & Malmundarium, quarum posteriorem Henricus rex Coloniësi episcopo dederat. Cum-
que rex nulla fratrum repetentium eam impor-
tunitate moueretur, diuina, vt fertur, reuelatio-
ne, Leodium ossa beati Remacli tulerunt, & in
celebri conuiuio super mensam posuerunt, obse-
crantes vt si minus filiorum, saltem patris mise-
reatur, de iniurijs suis quotidie ad tribunal æterni
iudicis proclamationem facientis. Rex primùm
iratus, punitionem facti meditabatur, sed attoni-
tus miraculorum multitudine, quæ subsequen-
tur, non solum ablata restituit, sed etiam regia
dona adiecit. Scribit id in Hirsfeldensi Chronico
Lambertus Scafnaburgensis. Cui autem ista non
sufficiunt, is reuoluat tres libros Nodgeri episco-
pi Leodiensis, quos scripsit de vita & miraculis
sancti antistitis.

An. 1071.

Nodge. 10.
s. Surg.

Die quarta Septembris.

Memoria beatæ Irmgardis.

Ex Vita Latinè impressa.

COloniæ, in maiori ecclesia, Irmgardis vir-
ginis, in cuius præfesto ibidem campanæ
pullantur, sicut in præfestis Sanctorum, licet non
sit canonizata.

In vita Latinè impressa, quæ corpus eius visitantibus ex-
hibetur, asseritur filia Comitis Zutphanensis, quæ orba a
patre, castrum *Brochspeel* & oppidum *Reis*, hæres possedit,
eaque moriens legauit sancto Petro Coloniæ.

Conuentui vero sancti Pantaleonis, in quo frater abbas
erat,